

No. 325. 1298. 25. März.

Die Vorgenannten verleihen Bussfertigen, welche an gewissen Festtagen das Kloster der Marienknechte Augustiner-Ordens in Halberstadt besuchen u. s. w. jeder Einzelne 40 Tage Ablass.

Borchardus dei gratia sanctae Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopus, Bruno Nuenburgensis, Albertus Mysenensis, Henricus Merseburgensis, Volradus Brandenburgensis, Johannes [Hauelbergensis] eadem gratia ecclesiarum episcopi salutem in domino sempiternam omnibus praesens scriptum visuris. Virgo venustissimus et omnium virtutum flos beata virgo dei genitrix gloriosa, cuius pulcritudinem sol et luna mirantur — — — Cupientes ut novella plantatio monasterii servorum Mariae ordinis sancti Augustini in nova civitate Halverstadensi congruis honoribus frequentetur et a Christi fidelibus iugiter veneretur, omnibus vere poenitentibus et confessis qui ad dictum monasterium causa devotionis in omnibus festivitatibus ipsius virginis gloriosae — — — accesserint aut de bonis suis mobilibus et immobilibus aliquid in eiusdem monasterii subsidium in vita contulerint seu in ultima voluntate perpetuis temporibus legaverint, aut sepulturam ibidem elegerint in futurum — — quilibet nostrum quadraginta dies et karenam de iniunctis poenitentis — — in domino relaxamus. Datum Magdeburg. VIII^o. Kal. Aprilis anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo.

Nach dem sehr schadhaften Orig. im Prov.-Archiv zu Magdeburg; sämtliche Siegel fehlen.

No. 326. 1289. 1. Mai.

P. Bonifacius VIII. befiehlt dem B. von Merseburg dafür zu sorgen, dass die vom bischöfl. Tafelgut zu Meissen durch Verpfändung oder Verkauf abgekommenen Besitzungen und Renten an dasselbe zurückgehen.

Bonifacius episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Merseburgensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit, quod tam venerabilis frater noster . . episcopus Misnensis, quam praedecessores sui episcopi Misnenses, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, redditus, castra, domos, possessiones, vineas, prata, pascua, nemora, molendina, iura, iurisdictiones et quaedam alia bona ad mensam suam episcopalem spectantia, datis super hoc litteris, interpositis iuramentis, factis renuntiationibus et poenis adiectis, in gravem ipsius mensae laesionem, nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super his confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse dicuntur. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatinus ea, quae de bonis ipsius mensae per concessionem huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, iuramentis, poenis, renuntiationibus et confirmationibus supradictis ad ius et proprietatem eiusdem mensae legitime revocare procures, contradictores per